

# S. THOMAE

A. GRESU, MARIA R. GIUSEPPE

DOCTORIS ANGELICI

## PRECES



ROMAE

EX TYP. POLYGLOTTA S. C. DE PROP. FIDE

ANNO SACRO

MDCCLXXV.



## ADOLESCENTIBUS

QUI ARTIUM OPTIMARUM STUDIIS,  
ET DISCIPLINIS DANT OPERAM.

Cum mihi in manus venissent preces, quibus sibi Deum, et Dei Matrem Mariam conciliabat, et suae pietatis studium alebat quotidie s. Thomas, cumque reconditam in illis sapientiam fuerim admiratus, in eam mentem veni, ut eas in unum collectas et non paucis maculis, quas aut incuria aut festinatio scribentium fuderat, abstersas vobis exhiberem. Non mediocri autem mihi in hoc, quicumque fuerit, labore subeundo, praesidio fuerunt codices, ad quorum fidem scripta sancti Doctoris exegit vir doctrina et pietate insignis Petrus Antonius Uccellius. Horum enim ope in id animum intendi, ut

verum a falso internoscerem, et ex multiplici varietate verborum ea seligerem, quae Aquinatis sententiam aut assequerentur, aut ad eam quam proxime accederent.

Pietati autem vestrae, et doctrinae quae cum pietate socianda est, ut ab ea lumen et solidum decus mutuetur, non mediocriter conducere existimavi, si ad optatam studiorum metam, Aquinate magistro et monstrante viam, contenderetis, eiusque verba et sententias usurparetis, cum Deo communicantes: siquidem nihil aliud innuant preces, nihil sit aliud oratio, nisi mentis ad Deum accessus, animique cum Deo communio.

Id autem consilii eo libentius inii, quo graviora vobis his temporibus impendent pericula, quo callidiora vos hominum improborum consilia et fraudes circumveniunt. Bellum enim religioni infertur, belli impetus religionem petit: recta adolescentium institutio, pudor, probique mores in discrimen vocantur: arma, quibus Ecclesiam Dei et Petri sedem tegi oportebat, in Ecclesiae sinum, in Pontificis Maximi potestatem et iura vertuntur: caelestis sapientiae asseclae ceu diris devoti, bonis exuti, suis

ex aedibus abacti, a convictu et vitae societate distracti, in medios tempestatum fluctus a portu, in quem se receperant, propelluntur. Quo autem facilius aeternae veritatis documenta ex animis radicitus evellantur, impia scripta in vulgus sparsa et disseminata omnium oculis subiiciuntur, omnes cupiditatibus effunduntur habenae, acies ingeniorum falso inanis gloriae splendore perstrictae, veri specie decipiuntur.

Iure igitur omnes boni, quibus cordi est vestra salus, maximo dolore afficiuntur, summo sunt in metu, vestraque causa laborant, cum vos tanto in periculo versari conspiciant. Fortunarum enim et bonorum, quibus ad vitam exigendam utimur, immo et vitae ipsius tolerabilis est iactura: aeternam autem animarum perniciem quis ferre possit?

Itaque optimi, mihi que carissimi adolescentes, animum erigite, vosmet ab improborum, qui ore foetido pestiferum virus proximo cuique inhalant, societate disiungite, in nobilissima Pontificis Maximi, et religionis, cui Magister inerrans a Christo Deo praefectus est, castra vos recipite; et sic habete, sapientiam, qua nihil pulcrius, nihil amabi-

lius, nihil nobilius a Deo tributum est hominibus, non in voluptatum, non in vitiorum, non in religionis hostium regno posse consistere.

Hoc autem sapientiae munere cum vos auctos cupio, tum hoc vobis praeceptum instillo; utque in eo mentem figatis, vos oro: Matrem Dei Mariam colite, Mariam veniente et abeunte die in vota vocate, omnem spem in eius ope et praesidio locate; sic facillime uberes doctrinae et pietatis accessiones vobis fient. Valet.

Romae festo die Conceptus Immaculati  
Matris Dei Mariae anno sacro MDCCCLXXV.

ANTONIUS ANGELINIUS  
e Societate Iesu.



---

## EPISTOLA

DE MODO ACQUIRENDI SCIENTIAM  
TUM HUMANAM TUM DIVINAM.

Quia quaesisti a me, in Christo mihi charissime Ioannes, qualiter te studere oporteat in thesauro scientiae acquirendo: tale a me tibi super hoc traditur consilium: ut parvulus non statim in mare eligas introire, quia per faciliora ad difficiliora oportet devenire. Haec est ergo monitio mea, et instructio tua.

Tardiloquum te esse iubeo, et tarde ad locutorium accedentem: conscientiae puritatem amplectere: orationi vacare non desinas: cellam frequenter diligas, si vis in cellam vinariam introduci. Omnibus te amabilem exhibe: nihil quaere penitus de factis aliorum: nemini te multum familiarem ostendas, quia nimia familiaritas parit contemptum, et subtractionis a studio materiam subministrat: de verbis et factis saecularium nullatenus te intromittas. Discursus super omnia fugias: sanctorum et bonorum imitari vestigia non omittas: non respicias a quo audias: sed quidquid boni dicatur, memoriae recommenda. Ea quae agis, et audis,

fac ut intelligas; de dubiis te certifies: et quidquid poteris, in armariolo mentis reponere satage, sicut cupiens vas implere: altiora te ne quaesieris.

Ista sequens vestigia, frondes et fructus in vineam Domini Sabaoth utiles, quamdiu vitam duxeris, proferes ac produces. Haec si sectatus fueris, ad id pertingere poteris, quod affectas.

---

### ORATIO

#### PRO PECCATORUM REMISSIONE.

Ad te fontem misericordiae, Deus, accedo peccator: ergo digneris me lavare immundum. O sol iustitiae, illumina caecum: o aeternae medice, cura vulneratum: o Rex regum indue spoliatum: o mediator Dei et hominum, reconcilia reum: o pastor bone, reduc errantem.

Da, Deus, misericordiam misero, indulgentiam criminoso, vitam mortuo, iustificationem impio, unctionem gratiae indurato. O clementissime, revoca fugientem, trahe renitentem, erige cadentem, tene stantem, conduc ambulantiem. Ne obliviscaris te obliviscentem, ne deseras te deserentem, ne despicias peccantem. Ego enim peccando, te Deum meum offendi, proximum laesi, mihi non peperci. Peccavi, Deus meus, fragilitate contra te Patrem Omnipotentem, ignorantia contra te Filium Sapientem, malitia contra te

Spiritum Sanctum: et his offendi te Trinitatem excellentem.

Heu mihi misero, quot et quanta peccata commisi, qualia perpetravi! Dereliqui te, Domine, amore malo accedente, timore malo concutiente: et potius te amittere, quam amatis carere, potius te offendere, quam cupiditatibus abstinere volui. O Deus meus, quantum nocui verbo et opere, peccando latenter, patenter, et contumaciter. Quare pro mea fragilitate supplico, ut non attendas meam iniquitatem, sed tuam immensam bonitatem, et remittas clementer quae feci, donans dolorem pro praeteritis, et cautelam efficacem de futuris. Amen.

---

### ORATIO

#### AD ASSEQUENDAS VIRTUTES.

O Deus omnipotens, omnia sciens, principio et fine carens, qui es virtutum donator et conservator, digneris me stabilire solido fidei fundamento, et tui inexpugnabili spei clypeo, atque decorare nuptiali caritatis vestimento. Da mihi per iustitiam tibi subesse, per prudentiam insidias diaboli cavere, per temperantiam medium tenere, per fortitudinem adversa patienter tolerare. Da bonum quod habeo, non habentibus libenter impendere, bonum quod non habeo, ab habentibus humiliter quaerere.

Da mihi, malum culpae, quod feci, veraciter accusare, malum poenae, quod sustineo, aequanimiter ferre: bono proximi non invidere; de bonis tuis semper gratias agere; habitu, incessu, et motu disciplinam semper servare: linguam a vaniloquio restringere: pedes a discursu cohibere: oculos a vago visu comprimere: aures a rumoribus separare: vultum humiliter inclinare: mentem in caelestia levare: transitoria contemnere, te tantummodo desiderare: carnem domare: conscientiam expurgare: sanctos honorare: te digne laudare: in bono proficere; et bonos actus fine sancto terminare.

Planta in me, Domine, virtutes: ut circa divina sim devotus, circa humana officia providus, circa usum proprii corporis nulli onerosus. Da mihi, Domine, ferventem contritionem, puram confessionem, perfectam satisfactionem. Ordinare me digneris interius per bonam vitam; ut faciam quod deceat, et quod mihi proficiat ad meritum, et reliquis proximis ad exemplum. Da mihi, ut numquam ea quae fiunt insipienter, appetam: et quae fiunt acediose, fastidiam: ne contingat inchoanda ante tempus appetere, aut inchoata ante consummationem deserere. Amen.

## ORATIO

### DE CAELESTI CONTEMPLATIONE.

Te Deum totius consolationis invoco, qui nihil in nobis praeter tua dona cernis, ut mihi post huius vitae terminum donare digneris cognitionem primae veritatis, fruitionem divinae maiestatis. Da etiam corpori meo, largissime remunerator, claritatis pulcritudinem, agilitatis promptitudinem, subtilitatis aptitudinem, impassibilitatis fortitudinem. Apponas istis affluentiam divitiarum, influentiam deliciarum, confluentiam honorum: ut gaudere possim supra me de tua consolatione, infra de loci amoenitate, intra de corporis et animae glorificatione, iuxta de angelorum et hominum delectabili associatione.

Consequatur apud te, Clementissime Pater, mea rationalis potentia illustrationem sapientiae, pars concupiscibilis desiderabilium adeptionem, irascibilis triumphum laudem. Est enim apud te evasio periculorum, distinctio mansionum, concordia voluntatum. Ibi est amoenitas vernalis, luciditas aestivalis, ubertas autumnalis, et requies hiemalis.

Da, Domine Deus, vitam sine morte, gaudium sine dolore, ubi est summa libertas, libera securitas, secunda tranquillitas, iucunda felicitas, felix aeternitas, aeterna beatitudo, veritatis visio, atque laudatio: ubi es tu Deus omne bonum. Amen.

ORATIO

AD VITAM SAPIENTER INSTITUENDAM.

Concede mihi, misericors Deus, quae tibi sunt placita, ardentem concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere, et perfecte adimplere, ad laudem et gloriam nominis tui. Ordina, Deus meus, statum meum: et quod a me requiris, ut faciam, tribue ut sciam; et da exequi, sicut oportet, et expedit animae meae.

Da mihi, Domine Deus meus, inter prospera et adversa non deficere, ut in illis non extollar, et in istis non deprimar. De nullo gaudeam vel doleam nisi quod ducat ad te, vel abducat a te. Nulli placere appetam, vel displicere timeam, nisi tibi.

Vilescant mihi, Domine, omnia transitoria, et cara mihi sint omnia aeterna. Taedeat me gaudii quod est sine te, nec aliud cupiam quod est extra te. Delectet me, Domine, labor, qui est pro te; et taediosa sit mihi omnis quies, quae est sine te.

Da mihi, Deus meus, cor meum ad te dirigere, et in defectione mea cum emendationis proposito constanter dolere.

Fac me, Domine Deus meus, obedientem sine contradictione, pauperem sine deiectione, castum sine corruptione, patientem sine murmuratione, humilem sine fictione, hilarem sine dissolutione, maturum sine gravedine, agilem sine levitate, timentem te sine desperatione, veracem

sine duplicitate, operantem bona sine praesumptione, proximum corripere sine elatione, ipsum aedificare verbo et exemplo, sine simulatione.

Da mihi, Domine Deus, cor pervigil, quod nulla abducat a te curiosa cogitatio: da nobile, quod nulla deorsum trahat indigna affectio: da rectum, quod nulla seorsum obliquet sinistra intentio: da firmum, quod nulla frangat tribulatio: da liberum, quod nulla sibi vindicet violenta affectio.

Largire mihi, Domine Deus meus, intellectum te cognoscentem, diligentiam te quaerentem, sapientiam te invenientem, conversationem tibi placentem, perseverantiam fidenter te expectantem, et fiduciam te finaliter amplectentem. Da tuis poenis hic affligi per poenitentiam, tuis beneficiis in via uti per gratiam, tuis gaudiis in patria perfrui per gloriam: Qui vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

ORATIO

PRO GRATIARUM ACTIONE.

Laudo, glorifico, benedico te, Deus meus, propter immensa indigno mihi praestita beneficia. Laudo clementiam tuam me diu expectantem, dulcedinem tuam ulcisci simulantem, pietatem tuam vocantem, benignitatem suscipientem, misericordiam peccata remittentem, boni-

tatem supra merita impendentem, patientiam iniuriae non recordantem, humilitatem consolantem, patientiam protegentem, aeternitatem conservantem, veritatem remunerantem.

Quid dicam, Deus meus, de tua ineffabili largitate? Tu vocas fugientem, suscipis revertentem, adiuvas titubantem, laetificas desperantem, stimulas negligentem, armas pugnantem, coronas triumphantem, peccatorem post poenitentiam non spernis, et iniuriae non memineris. A multis liberas periculis, ad poenitentiam cor emollis, terres suppliciiis, allicis promissis, castigas flagellis, angelico ministerio custodis, ministras temporalia, reservas nobis aeterna, hortaris dignitate creationis, invitas clementia redemptionis, promittis praemia remunerationis, pro quibus omnibus laudes referre non sufficio.

Maiestati tuae gratias ago propter immensae bonitatis tuae abundantiam, ut semper in me gratiam multiplices, et multiplicatam conserves, et conservatam remuneres. Amen.

### ORATIO

#### ANTE COMMUNIONEM.

Omnipotens sempiternae Deus, ecce accedo ad Sacramentum Unigeniti Filii tui Domini nostri Iesu Christi. Accedo tanquam infirmus ad medicum vitae, immundus ad fontem misericordiae,

caecus ad lumen claritatis aeternae, pauper et egenus ad Dominum caeli et terrae.

Rogo ergo immensae largitatis tuae abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lavare foeditatem, illuminare caecitatem, ditare paupertatem, vestire nuditatem: ut panem angelorum, Regem regum, et Dominum dominantium tanta suscipiam reverentia, et humilitate, tanta contritione et devotione, tanta puritate et fide, tali proposito et intentione, sicut expedit saluti animae meae.

Da mihi, quaeso, Dominici Corporis et Sanguinis non solum suscipere sacramentum, sed etiam rem, et virtutem sacramenti.

O mitissime Deus, da mihi corpus Unigeniti Filii tui Domini nostri Iesu Christi, quod traxit de Virgine Maria, sic suscipere, ut corpori eius mystico merear incorporari, et inter eius membra connumerari. O amantissime Pater, concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum in via suscipere propono, revelata tandem facie perpetuo contemplari: qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.



**ORATIO**

**POST COMMUNIONEM.**

Sit Iesu dulcissime, sacratissimum Corpus tuum, et Sanguis, dulcedo, et suavitas animae meae, salus et robur in omni tentatione, gaudium et pax in omni tribulatione, lumen et virtus in omni verbo et operatione, et finalis tutela in morte. Amen.

**ORATIO**

**POST COMMUNIONEM.**

Gratias tibi ago, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui me peccatorem, indignum famulum tuum, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiae tuae satiari dignatus es pretioso Corpore, et Sanguine Filii tui Domini nostri Iesu Christi. Et precor te, ut haec sancta Communio non sit mihi reatus ad poenam, sed intercessio salutaris ad veniam. Sit mihi armatura fidei, et scutum bonae voluntatis: sit vitiorum meorum evacuatio, concupiscentiae et libidinis exterminatio: caritatis et patientiae, humilitatis et obedientiae, omniumque virtutum augmentatio: contra insidias inimicorum meorum, tam visibilium quam invisibilium firma defensio; motuum meorum,

tam carnalium quam spiritualium perfecta quietatio: in te uno ac vero Deo firma adhaesio, atque mei finis felix consummatio.

Et precor te, ut ad illud ineffabile convivium me peccatorem perducere digneris, ubi tu cum Filio tuo et Spiritu Sancto, Sanctis tuis es lux vera, satiety plena, gaudium sempiternum, iucunditas consummata, et felicitas perfecta: per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

**ORATIO**

**ANTE STUDIUM.**

Creator ineffabilis, qui de thesauris sapientiae tuae tres Angelorum hierarchias designasti, et eas super caelum empyreum miro ordine collocasti, atque universi partes elegantissime disposuisti: tu, inquam, qui verus es fons luminis et sapientiae, atque supereminens principium, infundere digneris super intellectus mei tenebras tuae radium claritatis, duplices in quibus natus sum, a me removens tenebras, peccatum, scilicet, et ignorantiam. Tu, qui linguas infantium facis disertas, linguam meam erudias, atque in labiis meis gratiam tuae benedictionis infundas.

Da mihi intelligendi acumen, retinendi capacitatem, addiscendi modum et facilitatem, interpretandi subtilitatem, loquendi gratiam copiosam; ingressum instruas, progressum dirigas,

egressum compleas: qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas verus Deus et homo, laudabilis, et gloriosus, et benedictus in infinita saecula saeculorum. Amen.

ORATIO

AD BEATISSIMAM VIRGINEM

MARIAM.

O beatissima et dulcissima Virgo Maria, Mater Dei, omni pietate plenissima, summi Regis filia, Domina angelorum, mater omnium creditum, in sinum pietatis tuae commendo hodie et omnibus diebus vitae meae, corpus meum et animam meam, omnesque actus meos, cogitationes, volitiones, desideria, locutiones, operationes, omnemque vitam, finemque meum: ut per tua suffragia disponentur in bonum, secundum voluntatem dilecti Filii tui Domini nostri Iesu Christi: ut sis mihi, o Domina mea sanctissima, adiutrix et consolatrix contra insidias et laqueos hostis antiqui, et omnium inimicorum meorum.

A dilecto Filio tuo Domino nostro Iesu Christo mihi impetrare digneris gratiam, cum qua potenter resistere valeam tentationibus mundi, carnis et daemonis, ac semper habere firmum propositum ulterius non peccandi; sed in tuo, et dilecti Filii tui servitio perseverandi. Deprecor te etiam, Domina mea san-

ctissima, ut impetres mihi veram obedientiam, et veram cordis humilitatem, ut veraciter me agnoscam miserum, ac fragilem peccatorem, et impotentem non solum ad faciendum quodcumque opus bonum, sed etiam ad resistendum continuis impugnationibus, sine gratia et adiutorio Creatoris mei, et sanctis precibus tuis.

Impetra mihi etiam, o Domina mea dulcissima, perpetuam mentis et corporis castitatem: ut puro corde, et casto corpore, dilecto Filio tuo, et tibi in tuo Ordine valeam deservire. Obtine mihi ab eo voluntariam paupertatem cum patientia et mentis tranquillitate, ut labores eiusdem Ordinis valeam sustinere, et pro salute propria et proximorum valeam laborare. Impetra mihi etiam, o dulcissima Domina, caritatem veram, qua Sacratissimum Filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum toto corde diligam: et te post ipsum super omnia, et proximum in Deo et propter Deum: sicque de bono eius gaudeam, de malo doleam; nullumque contemnam, neque temerarie iudicem, neque in corde meo alicui me praeponam.

Fac etiam, o Regina caeli, ut dulcissimi Filii tui timorem pariter, et amorem semper in corde meo habeam; et de tantis beneficiis mihi, non meis meritis, sed ipsius benignitate collatis, semper gratias agam: ac de peccatis meis puram et sinceram confessionem, et veram poenitentiam faciam, ut eius consequi merear misericordiam, et gratiam. Oro etiam, ut in fine vitae meae, caeli Porta et peccatorum Advocata, me indignum servum tuum a sancta fide

catholica deviare non permittas; sed tua magna pietate, et misericordia mihi succurras, et a malis spiritibus me defendas: ac in benedicta Filii tui gloriosa passione, et in tua intercessione spe accepta, veniam de peccatis meis ab eo mihi impetres, atque me in tua, et eius dilectione morientem, in viam salvationis et salutis dirigas. Amen.

### RHYTHMUS

#### AD SACRAM EUCHARISTIAM.

Adoro te devote, latens Deitas,  
Quae sub his figuris vere latitas;  
Tibi se cor meum totum subiicit,  
Quia te contemplans, totum deficit.

Visus, tactus, gustus in te fallitur,  
Sed auditu solo tuto creditur:  
Credo quidquid dixit Dei Filius;  
Nihil hoc verbo veritatis verius.

In cruce latebat sola Deitas,  
At hic latet simul et humanitas:  
Ambo tamen credens atque confitens,  
Peto quod petivit latro poenitens.

Plagas, sicut Thomas, non intueor,  
Deum tamen meum te confiteor;  
Fac me tibi semper magis credere,  
In te spem habere, te diligere.

O memoriale mortis Domini,  
Panis vivus, vitam praestans homini,  
Praesta meae menti de te vivere,  
Et te illi semper dulce sapere.

Pie pellicane, Iesu Domine,  
Me immundum munda Tuo Sanguine,  
Cuius una stilla salvum facere  
Totum mundum quit ab omni scelere.

Iesu, quem velatum nunc aspicio,  
Oro fiat illud, quod tam silio:  
Ut te revelata cernens facie,  
Visu sim beatus tuae gloriae. Amen.

#### AD SANCTISSIMAM DEI MATREM

#### MARIAM

### HYMNUS

#### INNOCENTII III. PONTIFICIS MAXIMI.

Ave mundi spes Maria,  
Ave mitis, ave pia,  
Ave Dei amore plena,  
Virgo dulcis et serena.  
Angelorum imperatrix,  
Peccatorum consolatrix,  
Consolare me lugentem,  
In peccatis iam foetentem.  
Esto custos cordis mei,  
Signa me timore Dei:

Confer vitae sanitatem,  
Dona amorem et pietatem:  
Da peccata me vitare,  
Et quod iustum est, amare.  
Eia rosa sine spina,  
Peccatorum medicina,  
Pro me Deum interpella,  
Ut me salvet a procella  
Huius mundi tam immundi,  
Cuius fluctus furibundi  
Omni ex parte me compingunt,  
Et peccati morte stringunt.  
Christe Fili summi Patris,  
Per amorem tuae Matris,  
Cuius venter te portavit,  
Et te dulci lacte pavit,  
Tu peccata dele mea,  
Et cor mundum in me crea:  
Da spem firmam, fidem rectam,  
Caritatem da perfectam:  
Ut in corde sic compungar,  
Ut tibi intime coniungar. Amen.



## SENTENTIAE MORALES

### S. THOMAE DOCTORIS ANGELICI

COLLECTAE A P. CORNELIO A LAPIDE

SOCIETATIS IESU THEOLOGO.

Paupertas iuncta impatientiae, est sumptus sine lucro.

Religiosus sine oratione, miles est gladio carens, et prorsus inermis.

Intelligere nequeo, qua ratione quis in peccato mortali possit ridere, et laetari.

Nequeo intelligere, qua ratione Religiosus possit de alio cogitare, quam de Deo: Deo enim coniunctus despiciere debet omnia extra Deum.

Passio Christi est instar radii solaris, qui licet pro omnibus creatus sit, non tamen omnibus prodest.

Rogatus, cur adeo fugeret feminas, cum ex femina natus esset, respondit: ideo fugio omnes, quia ex una natus sum.

Rogatus, quibus signis colligi posset, quemquam profecisse in via spirituali, et esse perfectum, respondit: duobus signis; primo, si absteineat verbis iocosis et otiosis; secundo, si se despici et contemni patienter ferat, immo et gaudeat: si enim doleat se contemni, scito eum

non esse perfectum, etiamsi patret miracula, quia caret virtutis et sanctitatis fundamento, quod est humilitas.

Moriens rogatus, num qua re indigeret, inquit, nulla: nam brevi habebō omnia, et potiar summo, omnique bono.

A sorore rogatus, 1° quomodo salvari posset: respondit, si volueris; tua enim voluntas te impellet ad omnia media adhibenda.

2° Quid magnopere cuperet in vita; respondit: bene mori.

3° Quid esset paradisi; respondit: nequit cognosci, nisi quis eum labore et bonorum operum meritis fuerit assecutus, et bona quae in eo sunt, fuerit expertus.

A sodalibus religiosis rogatus, quomodo haec vita sine errore et lapsu exigi posset, respondit: si quis ita se gerat, ut rationem reddere possit, cur ita agat: hoc pacto nec cupiditate, nec ira, nec alia turpi causa ad agendum impelletur.

Rogatus, cur triennium audiens Albertum Magnum tacuisset, respondit: quia necdum bene loqui didiceram coram Alberto.

Otium, aiebat, est hamus diaboli.

Si vis doctrinam assequi, unum lege librum.

## SENTENTIAE MORALES

### S. BONAVENTURAE DOCTORIS SERAPHICI

COLLECTAE

AB EODEM P. CORNELIO A LAPIDE S. I.

Spem omnem in uno Deo pone: omnia mundi solatia contemne.

Vitiis et concupiscentiis animum exue.

Omnia vincula humana rumpe, teque his expedi, ut Deo iungaris.

Omnia adversa aequo et hilari animo perfer: et una Christi Dei passione delectare.

De nulla re creata conquerere, memor te Creatorem tuum offendisse.

Despice te ipsum, et ab aliis te despici exopta: tu vero omnibus exhibeas honorem.

Fuge honores saeculi, cave a vana gloria ceu a pestifera lue.

Humilia te, et omnium servum te existima, ut Christum Deum sequaris, qui formam servi accepit.

Nulla re, nulloque negotio te implices, nisi id in animae tuae lucrum cedat.

Oculos, aures, linguam et os claude, nec loqui, audire, cernere cupias, nisi quod animae tuae expediat.

Sectare sanctam et beatam solitudinem : in orationem et preces incumbe solerter, et Deum videbis.

Officium divinum sic persolve, ut si inter Angelos coram Deo consideres.

Summo studio cole, ama, invoca assidue Dei Matrem Mariam ; vae tibi, si ulla dies careat oratione ad Mariam : hoc pacto peccati sordibus carebis, omnia bona assequeris, et salvus eris.

Cave a socordia, inertia, et tristitia : semper vero esto hilari et serena fronte, hilari mente et serena.

Nulli resiste, nulli te oppone, nisi animae tuae salus, vel honor Dei id postulet.

In omnibus rebus voluntatem Dei libenter amplectere.

Nil tibi peccandi occasionem praebeat: nil tibi sit damno.

Omni custodia custodi cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit.

In omnes esto beneficus, ut Deum imiteris.

Mentem ita componas coram Deo, ut omnia opera tua licet humilia Christo veluti praesenti possis exhibere.

Obedias omnibus non modo praepositis, sed et aequalibus, et minoribus, eorumque voluntati pareas : nullum laedas, de nemine detrahas ; alios vituperandi causam aut occasionem nemini praebeas.

Virtutes, gratias, consolationes, dona spiritualia celato : uni patri spirituali, aut viro pio et probato, ut consilium et praesidium implores, ea aperias.

In mente, et animo semper Deum habeas ; memineris, Deum tibi ubique adesse, ab eo te conspicere : ideo eum time, cole, ama.

Esto vigil : ut mali daemonis laqueos praenoscas, et vites.

Quotidie ab anima tua rationem rerum gestarum exige : si quid peccaris, fatere ; ad sacrum tribunal frequenter accede : teque divino epulo, si fieri potest, quotidie nutri ; ut puritatem animae acquiras, conserves, et recuperes, omnesque peccandi occasiones fugias, assidue memor mortis, iudicii, inferni, paradisi.

Cum omnia haec praestiteris, te servum inutilem, et peccatorem fatere.

## BEATI PATRIS PETRI CANISII

SOCIETATIS IESU THEOLOGI

### ORATIO.

Exue me, Domine, veteri homine, et affectibus et inclinationibus malis, quibus me obnoxium esse nosti. Indue me novo homine, quem haec sancta requirit vocatio, ut de die in diem renover, ardenti desiderio, constanti studio in solidis virtutibus, quae mihi desunt, proficiendi. Ne permitte me, Domine, graviter et periculose tentari, praesertim circa vocationis gratiam. Da in adversis animi fortitudinem ad resistendum et vincendum. Concede perseverantiae donum, ut usque ad mortem tibi fidelis existam. Auge in me gratiam, promissa vota rite praestandi, ut paupertas vere simplex, et angelica castitas in me vigeant, nec minus interior quam exterior obedientia me totum sibi vindicet, tibi que gratum, assiduum et perfectum praebeat holocaustum. Amen.

Miserere mei, Pater misericordiarum, quod in saeculo, et religione tuam saepe offenderim Maiestatem, tuis adhuc beneficiis ingratus, in cursu meae vocationis tepidus, veri timoris et amoris expers, nec sollicitus, ut ad tuam gloriam et meam salutem sincere omnia conferam. Aperias mihi oculos, quaeso, ut videam, et vires augeas, ut possim, voluntatem simul impellas,

ut velim in via tua, et vocatione mea progressus debitos facere, atque ad propositum mihi scopum recta contendere, nimirum mei ipsius, et proximi salutem, atque perfectionem semper impense procurando. Fiat in me et de me, ubicumque verser et quidquid patiar, voluntas tua bona, beneplacens, et perfecta. Sanctificetur in me Nomen tuum sanctum, ut bonae maiorum meorum expectationi satisfaciam, ac particeps demum fiam iustorum omnium, cum in Ecclesia catholica, tum in Societate hac tibi placentium, imo et in caelesti patria triumphantium. Per Iesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Miserere Societatis nostrae, quam plantavit dextera tua, ut ipsa sicut arbor fecunda magis magisque crescat in toto orbe terrarum, ac gratis tibi fructibus abundet semper in horto Ecclesiae tuae. Amen.

## INDEX

S. THOMAE DOCTORIS ANGELICI  
EPISTOLA, PRECES, HYMNUS, SENTENTIAE.

---

Adolescentibus qui artium optimarum studiis et disciplinis dant operam . . . . .	pag. 3
Epistola de modo acquirendi scientiam tum humanam tum divinam . . . . .	7
Oratio pro peccatorum remissione . . . . .	9
Oratio ad assequendas virtutes . . . . .	9
Oratio de caelesti contemplatione . . . . .	11
Oratio ad vitam sapienter instituendam . . . . .	12
Oratio pro gratiarum actione . . . . .	13
Oratio ante sacram Communionem . . . . .	14
Oratio post Communionem . . . . .	16
Oratio post Communionem . . . . .	ib.
Oratio ante studium . . . . .	17
Oratio ad Beatissimam Virginem Mariam . . . . .	18
Rhythmus ad sacram Eucharistiam . . . . .	20
Innocentii III. Pont. Max. Hymnus ad Sanctissimam Dei Matrem Mariam . . . . .	21
Sententiae morales S. Thomae . . . . .	23
Sententiae morales S. Bonaventurae . . . . .	25
B. Petri Canisii Soc. Iesu Oratio . . . . .	28


---

## INDEX

IMPRIMATUR

P. Fr. Vincentius Maria Gatti O. P.  
S. P. A. M.





Kodak Gray Scale

C Y M

© Kodak, 2007 TM: Kodak

A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19

13

S. THOMAE

DOCTORIS ANGELICI

PRECES



ROMAE

EX TYP. POLYGLOTTA S. G. DE PROP. FIDE

ANNO SACRO

MDCCLXXV.